



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio III. Quid de visionis beatificæ tempore senserit Joannes XXII?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

et integram beatitudinem, donec sit homo integer, cui detur. Acceperunt tamen iusti jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola prima ipsa est, quam diximus, felicitas & requies animarum; secunda verò immortalitas & gloria corporum. Ad 2dum. Serm. 5. de eodem Festo, Martyres primò commemorat, qui post multos agones jam nunc in cælis triumphant coronati. Dum itaque ait Sanctos sub Christi Humanitate feliciter quiescere, vult Sanctos Christi Humanitatis gloriam intueri, in quam ipsi etiam Angeli desiderant prospicere. Hanc verò Sanctorum felicitatem tunc consummatam fore, ubi animæ cum corporibus suis denuo conjunctæ fuerint.

Q U A E S T I O III.

Quid de visionis beatificæ tempore senserit JOANNES XXII?

Quæstio hæc de visione beatifica coepta dicitur 186. circa annum Pontificatûs JOANNIS XXII. decimum quintum (creatus est autem Pontifex anno 1316., & obiit anno 1334.) Cùm enim Papa in Festo OO. Sanct. pro concione diceret, inter cætera agebat: Sanctorum remunerationem ante Christi adventum fuisse in sinu Abrahamæ, post illius in cælum ascensionem usque ad Judicii diem Beatos esse sub Altari Dei, h. e. sub præsidio & consolatione Humanitatis Christi; post judicium verò eos exalratum iri supra Altare, sc. supra Christi Humanitatem, eoquod non hanc solam, sed ejus etiam Divinitatem, ut in se est, conspecturi sint, utpote tunc visuri Patrem, Filium, & Spiritum

Tom. II, Pp San.

Sanctum. Hanc ipsam doctrinam repetiit in sermone, quem eodem anno habuit Dominicâ 3. Adventus, addebatque, ingens esse gaudium, videre in cælo Christum gloriosum, in quem desiderant Angeli prospicere, sed hoc gaudium non fore plenum ante iudicii diem. Eandem doctrinam tradidit tertio in sermone, quem dixit in Vigilia Epiphaniæ, anno 1332. Fundabat autem opinionem suam in loco *Apoc. 6. v. 9.* & secundum glossam, ut vocant, ordinariam, cuius magna tunc erat auctoritas, altare dicebat esse Christum, sub quo essent animæ, ut cognoscantur esse sub Christi præsidio. Hos Papæ sermones, qui Papæ infensi erant, ac præ cæteris *Michael Cæsenas*, & *Ockamus* acriter redarguebant, eamque opinionem hæreseos stigmate notabant. Biennio siluit ista disceptatio: sed anno 1333. resuscitata acrius, & opinio Papæ publicè defensa fuit *Avenione*, præsertim per aliquot Cardinales. Ipse Pontifex cum opinionem suam Parisiis à Facultate theologica rejectam intelligeret, eò duos Doctores misit, nempe *Geraldum Odonem Ordin. Min.* & *Arnaldum Michaelifanensem O. P.* quorum ille coram Academicis palam negabat Sanctorum animas Deum intuitive visuras esse ante corporum resurrectionem, diemque iudicii. Ad Philippum autem Regem dedit literas, in quibus testabatur, sese hujus rei mentionem interdum in concionibus suis fecisse enucleandæ veritatis gratiâ, eoquod *S. Augustini*, aliorumque Doctorum sensa hac super re varia essent. Apud *Raynald.* ad annum 1333.

187. JOANNES XXII. & primis sui Pontificatus annis, & ante mortem Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de

HOMIN. POST MORTEM. 595

de animarum sanctarum retributione professus est, sen-
neque durante Pontificatu oppositum definivit. rit Jo.
Et quidem Papam Joannem in primis sui Pontifi-
catûs annis antiquam Ecclesiæ Fidem, Justorum
videlicet animas plene purgatas mox videre Deum
facie ad faciem, professum esse, colligitur ex dua-
bus Fidei Professionibus, quarum alteram dedit
Offinio Armenorum Regi, anno 1318, alteram
Fidelibus inter Tartaros degentibus anno 1321,
in quibus expressè ait, animas plenè purgatas in
cælum mox recipi. Vid. Raynald. ad annos 1318,
& 1321. Idem constat ex Diplomate, quo Lu-
dovicum Tolosatem Episcopum Sanctis adscripsit,
ubi: *In medio domus tuæ, inquit, ad Deum con-
templandum facie revelata est ingressus.* Id ipsum
repetit in canonizatione S. Thomæ Aquinatis.
Hanc ipsam doctrinam quòd ante mortem professus
fuerit, testis est BENEDICTUS XII. ejus successor,
qui in sua Bulla ita loquitur: *Cumque idem Præ-
decessor noster, ad quem prædictorum determina-
tio pertinebat, ad decisionem concertationum hu-
jusmodi se præpararet, in Consistorio suo publi-
co tam Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de
quorum numero tunc eramus, quàm Prælati &
Magistris in Theologia, qui multi aderant præ-
sentes, injungendo districtius & mandando, ut
super materia de visione prædicta, quando require-
rentur ab eo, deliberatè dicerent, unusquisque
quod sentiret.* Tamen mortè præventus, sicut
Domino placuit, perficere nequivit. Dein idem
Pontifex suæ Constitutioni inseruit hanc Joannis
declarationem, quam pridie mortis suæ coram No-
tariis fecerat: *Fatemur & credimus, quòd ani-*

mae purgata separata à corporibus suis sunt in
cælo, cælorum regno & paradiso, & cum Chri-
sto in consortio Angelorum congregata, & vi-
dent Deum ac divinam essentiam facie ad faciem
clarè, inquantum status & conditio compatitur
anima separata. Si verò alia, vel aliter circa
materiam hujusmodi per nos dicta, predicata seu
scripta fuerunt . . . ea inquantum sunt consona
Fidei Catholicae, determinationi Ecclesiae, S.
Scripturae ac bonis moribus approbamus; aliter
autem illa habemus, & haberi volumus pro non
dictis, predicatis & scriptis, & ea revocamus
expresse. Sed neque antea ullam hujus rei defini-
tionem edidit: nam refert PTOLEMAEUS Lucensis
L. 24. Hist. Eccles. c. 42, Joannem in Consisto-
rio publico disertè protestatum esse, quòd in hac
quaestione non intenderit aliquid determinare, vel
decidere. In ep. ad Philippum Regem anno 1333.
data expresse scribit, de tempore visionis beatifica-
se aliquando mentionem fecisse *veritatis enuclean-
dæ causâ*. In ead. ep. rogat Regem, ut curet, ne
Doctores Parisini ullis minis terreantur, neque ab-
stineant ab investigandis iis, quæ ad illustrandam
veritatem idonea judicaverint, sed ut fideliter &
sincerè sensa sua proferant, donec Suprema Sedes
aliud declaraverit. Data fuit hæc epistola 18. No-
vembris; igitur hoc tempore JOANNES nihil adhuc
definiverat. Die autem 3. Decembris anni 1334.
prædictam protestationem publicam edidit, cum
morti proximus esset; igitur numquam aliquid
hac super re determinavit.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. 1. Ipse JOANNES publicè in Ecclesia hunc errorem prædicavit: eundem Parisiis prædicari fecit per *Geraldum* Minorum Ordinis Ministrum generalem: *Thomam Valasanum* O. P. qui contra errorem istum prædicaverat, in carcerem detru-di jussit, ut refert continuator *Guilielmi Nangii*. Testatur *Ockamus* in Libro, quem inscripsit *Compendium errorum Joannis Papæ*, c. 7. se legisse librum, quem pro hac hæresi stabilienda JOANNES composuit. *Resp.* Ad 1^{um}. Quo animo hanc suam opinionem prædicaverit Papa, factus ipse est in literis ad Regem Galliæ datis, sc. ut laudatis PP. testimoniis, quæ variabant, veritatem per-quireret. Ad 2^{dum}. Voluit equidem Pontifex, ut *Geraldus* hujus opinionis momenta proponeret, quin umquam in errorem inducere Parisinos medi-tatus fuerit. *Afferimus coram Deo*, inquit Papa in ep. ad Regem, quòd numquam hoc cor nostrum intravit, nec exiit ab ore. Telle *Raynaldo* jusserat tantum Pontifex, ut Magistri Parisienses quæstionem in utramque partem disputarent, & neutrum pro Fidei dogmate ante proponerent, quàm Sedis Apostolicæ definitio emanaret. Equi-dem *Geraldus* ab opinione sua dimoveri per Docto-res Parisinos, qui illam ut falsam & hæreticam declarabant, non potuit; at vitium hoc fuit *Ge-raldi*, non Pontificis, nisi eatenus forte, quòd JOANNES eos foveret magis, qui suæ opinioni ad-hærebant. Ad 3^{tium}. Refert *Bzovius* ad ann. 1331. *Thomam Valasanum* in carcerem fuisse

Pp 3

conje-

conjectum, non ideo quòd contra hanc opinionem ex suggestu locutus fuisset; sed quia nimio ardore abreptus in illius sententiæ patronos fuerat invecsus. Ad 4^{um}. Ockamo & Marsilio hac in parte nulla fides habenda est: hi enim sequebantur partes Ludovici Bavari Imperatoris à Joanne excommunicati, immo & Anti-Papæ Nicolao V. ab Imperatore intruso adhærebant, ut adeo mirum non sit, multa eos impudenter ac temere scripsisse contra Pontificem legitimum, & Sedem Pontificiam.

Inst. Philippus Rex Papæ Joanni ignem comminatus est, nisi palinodiam caneret, ut refert Cardin. de Alliaco ad ann. 1333. *Resp.* Doctores Vincennis hac super se congregati anno 1333. jussu Regis, in suis ad Regem literis ita loquuntur: *Ut ex ore tuo audivimus, hac in materia petebas nihil, quod Sanctum Patrem nostrum Papam Joannem (cujus servi fideles ac filii sumus) posset offendere: è contrario in hac, & in quavis alia re illius honori studes.* Idoneis verò autoribus multis comperimus, eundem, quidquid hac super re dixerit, non adfirmando, nec opinando, sed solum recitando dixisse. Deceptus igitur fuit Petrus de Alliaco (qui nonnisi seculo XIV. desinente floruit) & inde quidem, quòd minas à Rege intentatas Geraldo, ut narrat Joannes Villanus L. IO. c. 229. quia ab opinione sua recedere nolebat, in Pontificem detorsit.

Obj. II. Gerson scribit, Jannis Papæ sententiam à Theologis Parisiensibus fuisse damnatam. Immo ADRIANUS VI. in Tract. de Sacram. Confr. ait: *Plures fuerunt Pontifices Romani hæretici: & novissimè fertur de Joanne XXII, qui publi-*
cè

et docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ purgatæ, &c. Resp. Gerson quo fuerit animo erga Pontifices, sat notum est. Hic quoque decipi voluit, aut decipere. Certè DD. Parisienses præter ea, quæ jam laudavimus, ita ulterius habent in iisdem literis: *Sententiam singulatim protulimus: sed inter nos omnes convenit hoc, quod sequitur: Post Christi mortem, ac descensionem ad inferos cunctæ Ss. Patrum animæ, quas è subterraneis ipsarum sedibus eduxit, aliæque rectè credentium sine macula è corporibus egressæ suis, aut piacularibus planè purgatæ flammis pervenerunt ad claram, quam S. Paulus à facie ad faciem vocat, visionem divinæ naturæ, ac Ss. Triadis, perfectèque fruuntur divinitate: nec ista, quam nunc habent, visio post reditum in corpora cessabit, ut alii locum faciat, sed eadem manebit perpetuò* Hæc istorum TT. definitiva sententia fuit, absque ullius censuræ adjectione prolata. ADRIANUS præterquam quòd ista scripserit, cùm adhuc Theologus Lovaniensis esset, quamvis ejus opera suscepto jam Pontificatu, ideoque sub ejus tunc Pontificis nomine iterum impressa fuerint, narrationem hanc ex incertis rumoribus sese hausisse, satis prodit per adjectam particulam: *fertur*. Idem dicendum de aliis Scriptoribus, qui ætate posteriores fuerunt. Cæterà istud non iniquè vitio datur Joanni XXII, quod in opinionem suam justò amplius fuerit propensus.

a) Inter ceteros opinionis Papæ impugnatores fuit etiam DURANDUS, O. P. tunc Meldensis Episcopus: illam tamen opinionem impugnatum ibat per auctoritates divini Codicis ab ipsarum sensu naturali (ut loquitur FLEU-

RI, Tom. 23 L. 94.) adeo detortas, & per ratioeina-
tiones tam infirmas, ut inde solidi nihil concludi posset.
Neque id laudi vertitur *Durando*, quod in eodem com-
mendario de S. *Bernardo* ita scripserit: Notandum venit
illum, etiamsi vir magni fervoris in sacris precibus & con-
cionibus suis fuerit, non tamen gravis autoritatis fuisse in
exponendis divinis Literis: quapropter eum hac in ma-
teria sequi, aut relinquere licet.

Q U A E S T I O IV.

*Utrum Sanctorum in cœlis beatitudo aequalis
sit?*

187. *Joviniani* in Sec. IV. hic error fuit, quod dice-
ret omnium hominum virtutes & vitia, bo-
na & mala opera esse aequalia, ac proinde aequale
in altera vita futurum esse & bonorum præmium,
& supplicium malorum. Errorem hunc duobus
libris refutavit S. *HIERONYMUS*. Eundem resuscitavit
Lutherus, qui cum homines ex sola justitiæ Chri-
sti imputatione justos esse diceret, quæ omnibus per
Fidem æqualiter applicetur; æqualem etiam visionem
beatificam omnibus retribuendam esse contendebat.

188. *Sanctorum in cœlis beatitudinem pro merito-
rum diversitate inæqualem esse, dogma Catholi-
cum est.* Præterquam enim quod *Joviniani* error
jam à *SIRICIO* Papa in Synodo *Romana* proscriptus
fuerit; hanc veritatem definivit Synodus *FLOREN-
TINA* in Decreto unionis ita statuens: *Sanctorum
animas in cœlum mox recipi, & intueri clarè
ipsum Deum trinum & unum, pro meritum di-
versitate alium alio perfectius.* Quod etiam perti-
net Canon 32. Sess. 6. *Trid.* *Siquis dixerit, ho-
minis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut
non*